



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

14. An Cardinales, si ita distent à Romana Curia, vt omnino inter decem dies post mortem Pontificis accere non possint, teneantur adhuc præsentes illos expectare? Ex p. 5. tr. 2. res. 76.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

punct. 2. num. 3. Duardus lib. 2. canon. 11. quest. 6. num. 1. Vgolinus cap. 11. §. 1. num. 1. Filiucius tom. 1. tract. 16. cap. 9. num. 2. 59. Scortia in Bull. Pontif. epitome 166. theorem. 420. Megala in 3. part. lib. 2. cap. 9. q. 1. num. 10. & alij.

RESOL. XII.

An Cardinalis iuste impeditus possit vices suas in creando Summo Pontifice alteri demandare?

Et an absens possit constituere Procuratorem ad eligendum, & suffragium ferendum in scrutinio?
Et an sit Cardinalibus id iure concessum? Ex part. §. tract. 2. Ref. 40.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Manfredus de Card. decis. 280. vbi sic ait: Cardinalis iusto detentus impedimento vices suas alteri in electione Papæ demandare potest. Ita ille. Probari potest hæc opinio ex cap. si quis iusto, de elect. in 6. Palcotus de sacro Consi. part. 5. quest. 7. notat absentem posse constituere Procuratorem ad eligendum, & suffragium ferendum in scrutinio, & citat Mandagotum de elect. Pralar. cap. 10. 11. & 12.

2. Verum negativam sententiam docet ex Ancharano & Philippo Franco Azorius tom. 2. lib. 4. c. 2. quest. 9. & Megalium in promptuar. ver. Cardinalis, num. 19. quia non est Cardinalibus id iure concessum.

RESOL. XIII.

An Cardinales si non expectent alios intra tempus definitum, quod est per spatium decem dierum, & eligatur Pontifex ex ipsorum omnium, vel duarum partium consensu, electio adhuc sit valida?

Et quid, si Cardinales presentes contradixissent; an ipsi in iuris electio consisteret? Ex part. §. tract. 2. Ref. 75.

§. 1. Suppono; quod Cardinales presentes debent per spatium decem dierum absentes expectare pro electione Summi Pontificis. Difficilis est, an si illum eligant infra dictum tempus, electio sit nulla? & talem electionem non valere respondet Albanus de Card. q. 14. quia cum tempus certum lex præscribit, ad substantiam spectare dicitur, ex auctoritate qua suppliat. C. de præib. Imper. offerend. sed hoc in electione statutum est, ergo, &c.

2. Sed talem electionem vim habere magis probabiliter tradit Azorius tom. 2. lib. 4. cap. 2. q. 5. & LAVORIUS in var. elucubr. tit. 4. cap. 7. num. 4. quibus ego ad hæreo, nam glossa in cap. vbi periculum, de elect. in 6. sentit eam electionem ratam esse & firmam, quia in eo cap. generatim dicitur nihil excipi, aut opponi posse, si Pontifex eligatur suffragiis duarum partium Cardinalium. Item, quia si illi Cardinales presentes quoque fuissent, & contradixissent, nihilominus ipsi in iuris electio consisteret. Nec diversum ab his Philippus & Archidiaconus, docuerunt, putant enim ad substantiam electionis solum requiri ut Pontifex à duabus partibus Cardinalium eligatur, cætera verò ad accidentia electionis attinere, nempe locum & tempus, ergo, &c.

RESOL. XIV.

An Cardinales, si ita dissent à Romana Curia, ut omnino inter decem dies post mortem Pontificis accedere

non possint, teneantur adhuc presentes, illos expectare?
Ex part. §. tract. 2. Ref. 76.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Manfredus de Card. decis. 266. vbi sic ait, Cardinales qui intra decem dies accedere non possunt, expectandi sunt. Ita ille, qui citat glossam, Francum, Baldum, Iasonem, Albanum, & Iacobatum.

2. Sed contraria sententia mihi placet, quam tuetur Albanus de Cardin. q. 13. Azorius tom. 2. lib. 4. cap. 2. quest. 5. quibus ego addo Iulium LAVORIUM in var. elucubr. tit. 4. cap. 7. num. 11. quia in cap. vbi periculum, de elect. in 6. decem dierum spatium præfigitur, ergo, &c.

RESOL. XV.

An si Ecclesia vacaret tempore, quo Concilium Generale est congregatum; electio Summi Pontificis adhuc spectet ad Cardinales?

Et quid sentiendum est de iure? Ex part. §. tract. 2. Ref. 73.

§. 1. Hic casus accidit tempore Concilij Constantinensis, & res ex consensu communi ad concordiam redacta fuit; sed quid sentiendum de iure? Hanc questionem latè tractat Albanus de Cardin. quest. 35. in qua aliqui volunt, ad Cardinales spectare electionem, si Sedes vacat per obitum, vel renunciationem; si verò vacet, vel quia Pontifex ab ipsa Sede sit depositus, vel eius electio irrita, & nulla ab ipso Concilio declarata sit, putant eisdem Concilij esse eligere novum Pontificem, tum quia cum Concilium habeat potestatem Pontificem hæreticum deprehensum deponendi, quod est plus, cap. si Papa, dist. 40. multo magis debet illi concedi eligere quod est minus, ex rei reg. cui licet, de reg. iur. in 6. & in 1. non debet, ff. eodem tit. & potestas conferendi videtur concessa illi, cui concessa est auferendi, l. nemo qui condemnare, ff. de reg. iuris, tum quia electio Rom. Pontif. ad Cardinales redacta est, habito respectu ad difficultatem congregandi Concilium statim post obitum Summi Pontificis, quod cessat, dum Sedes vacat congregato Concilio. Vide CUCCHUMINI in sit. Canon. lib. 2. tit. 4. num. 30.

2. Verum alij tradunt ius eligendi Pontificem in nullo casu pertinere ad Concilium, nam vbi iura non distinguunt, nec nos distinguere debemus, neque Concilium potest hanc facultatem Cardinalibus auferre, quia non à Concilio, sed à Sum. Pontifice acceperunt, licet Concilio approbante, ut patet in cap. licet. & in cap. vbi periculum, de elect. in 6. ergo sola Concilij autoritate potestas iure nequit auferri, nisi Romani quoque Pontificis consensus accesserit, & hæc opinio mihi magis placet cum Albano vbi supra, & Azorio tom. 2. lib. 4. cap. 3. quest. 13. cum hac tamen limitatione, ut eam potestatem Cardinalibus possit Concilium adimere, si iusta aliqui causa subit, ut si è munere & officio esset ob crimen hæresis Pontifex dejectus, & Cardinales essent criminis participes, aut alia de causa suspecti, aut verisimiliter crederetur offensionem orituram, aut schisma, vel magnam Ecclesiasticæ pacis perturbationem, tunc enim ob Ecclesiæ communem salutem, iure posse ad tempus, non in perpetuum Cardinalibus ea potestas auferri, alioqui minime.

3. Obijcies, Generale Concilium potuit id iuris Cardinalibus concedere, ergo & auferre. Respondeo potuisse quidem, sed non sine iusta causa, quæ quidem alicujus ponderis, & momenti esse videatur.

RESOL.